



**Ad Fridolinum Lindoverum Bremgartensium concionatorem
super publica de gratia per Christum hallucinatione
Expostulatio Huldrychi Zuinglij.**

<https://hdl.handle.net/1874/454596>

AD FRIDOLI

NVM LINDOVERVM BREMGARTENSIVM CON
cionatorem super publica de gratia per CHRIS
STVM hallucinatione Expostulatio
Huldrychi Zuinglij.



Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, &
ego requiem uobis praestabo, Matth. 11.

Tiguri in aedibus Christophori Froschouer,
Anno M. D. XXIII.



RATIA ET PAX A DEO PA
tre, & filio eius unigenito domino
nostro IESV CHRISTO.

Frater in domino dilecte, si modo
domini es, tu quidem haecenus &
multa & graua, siue per impruden-
tiam, siue per audaciam, in puram
Euangelij doctrinam, in Tigurinos
rum, & qui illic uerbum praedicamus, contumeliam effudi-
sti: ad qua nos hac potissimum coniuimus causa, quod spe-
raremus te cum sententia sermonem quoque mutaturum: ad
qua tam abest ut alioqui tacuissemus, ut iam olim consilium
fuerit per epistolam te amice conueniendi: & eam si minus au-
disses, paulatim instandi, tum adhortando tum arguendo, do-
nec deserta Aegypto, contemptis carnium ollis & peponibus,
coelestis uerbi manna non solum tuum, sed etiam populi ue-
stri palatum reficeres. At postea quam animus tibi coepit in-
diem magis ac magis ferocire, mutaueram consilium, melius
esse ratus si tibi satis superque tua sponte insanienti, deseruere
potius bilem sinerem, quam scriptis meis extimularem: sic
enim & impudentia & furore agitari uidebaris, ut nullae pro-
fus Anticyrae quicquam tibi prodesse possent. Et sic pro-
fus conticui, istud interim solacii habens, quod etsi Moenades in-
solecendo uinceret, haud multum tamen herbescenti Chri-
sto nocere, & minus antichristo prodesse posses. Nunc uero,
quasi parum sit in quibusdam uerbi locis dissensisse, & in ho-
mines genuinum exercuisse, cum uniuersam Christi religio-
nis summam euertere conari, & Christum ipsum blasphema-
re te non pudet, rumpendum esse constans haecenus silentium
duximus, ne ad contumeliam dei coniuentes, proditionis
rei agamur: & quod olim populo Israelitico, nobis quoque
euentas

eueniat: qui dum constanter gentes, quas iusserat dominus
expellere cessaret, ita iram Dei super se prouocauit, ut crebro
hostibus suis sit subiugatus, quibus imperare debebat. Ne
sic inquam nobis eueniat ut istis, quod scilicet falsitas & men
daciū ueritatem subiiciant, tua ista in cœlestem doctrinam
& in Christum Dei uirginisq; filium contumelia nullo dissi
mulari pacto debet. Ea autem est, ut ad causam ipsam descen
damus. Quam proximo Augusto apud Heluetiorum nostro
rum Thermas ad ecclesiam quæ illic est sermonē fecisti, pas
sionem adseuerasti: primum, Christum solummodo pro eorum
delictis esse passum, qui ante se fuerint: deinde, per Christum
nobis non alia delicta condonari, quam quæ baptismo ablu
untur: nam quæ postmodum perpetrauerimus, sacramentis
ecclesiæ elui oportere. Quod ad primū adtinet, breuioribus
quidem, sed claris tibi ante oculos exponam, quam fœde hic
sis hallucinatus. Abrahamo promittitur Gen. 15. In semine
tuo benedicentur omnes tribus terræ. Quod si ecclesia quæ
ex gentibus uocata est, & circum plateas, per uicos, apud ex
tra urbē septa collecta, in semine Abrahami, qd' Christus est,
non est benedicta, quomodo omnes tribus terræ in eo erunt
benedictæ? Et cōtra, si omnes benedictæ sunt per Christum,
cur tu eum posteris ipsius uolēter aufers? Ad hunc modum
omnem posteritatē Abrahæ percurrere, & inuenies perpetua
serie cum uerbis prædici, tum figuris adumbratiōibusq; præ
sagiri, quod Christus sit omnibus gētibus salutaris futurus:
Et quod Israël dominū proditurus, gentes uero eum sint am
plexuræ. Quid enim putas Ismaëlis & Esau repulsam aliud
figurasse, q̄ ueterum colonorū electionem, & quæ gentibus
facta est uinæ nouam locationem? Quid Iacob ex Mesopo
tamiā uxoribus duabus, sed formosiore aliquādū sterili, pul
cerrima posteritate, & numerofo pecore diues, domū rediēs,

aliud uel potuisset indicare quæ Christus, qui oues tam ex Gē
tibus quæ Iudæis in unam ecclesiam cōiunctas, istuc unde ipse
uenerat, reduxit? Quod ipsum Isaias pulcherrima similitudinē
sterilis aliquouiscūq; fœminæ, ac postea fœcunditati redditæ
cap. 54. expressit, quarum admodum multæ, sed omnes ad
hunc typum fuerunt, sic inquit: Lauda sterilis quæ nō pa-
ris, decanta laudem & hinni quæ nō pariebas, quoniam pluz
res filij desertæ, quàm eius quæ uirum habet. Quid sanctissi-
mi baptistæ uerbum, Ecce agnus Dei qui tollit peccata mun-
di; num falsum, aut uani alicuius parasiti encomiū fuit? Aut
Iudæorum patres, qui ante Christum uixerāt, mundus sunt,
& nos mundus non sumus? Si uero Christus nostra quoq;
uulnera sanauit, qui factum est, ut nobis eam salutem inuide-
as? Et quum quidam Gentiles aliquando cuperēt Iesum con-
uenire, Ioan. 12. sensit præ foribus esse, ut salutis uerbū Gen-
tibus quoq; annūciaretur, dixitq; uenisse horam, ut filius ho-
minis clarus fiat, hoc est, ut morte superata, salus in eius no-
mine omnibus Gētibus promitteretur; an & hoc frustraneū
esse putas? Postea uero quæ à mortuis resurrexit, & discipulis
præcepit, Ite, inquit, docete omnes Gentes, baptizantes
eos &c. & prædicate Euangeliū omni creaturæ; num & hoc
inane tibi uidetur? absit. Nisi, ut est quorūdam audacia, hoc
dictum uelis, ut Gentes non sint Gentes, aut humanū genus
desierit creatura Dei esse. Num Iudæorum Deus tātum est?
Nōne & Gentium? Certe & Gentium est. Rom. 3. Sed de
hoc satis, nam ipse hic non obstinate constitisti, ut audio, sed
rhetorū more iniquum petiisti, ut æquum (si modo æquū
esset quod adseris) tolleres; hoc est, salutem per Christum pa-
tribus tātum promisisti, ut qui uere Christi sunt, grati essent,
& cōtenti, si uel hoc auferrent quod Christus eis semel fuisset
salutaris; quo deinde fieret ut sacramētorum signis, quæ uul-
gus sacerdotū

gus sacerdotum non nisi magno uendit, cōducto murmure,
etiā frigido ac somniculoso, redemptisq; preculis populus
christianus cōmissa sua expiare contenderet. Quod istæ uo-
ces tuæ prodiderunt. Bona res est offerre. Offerre pro uiuis
& defunctis. Nolite eos audire qui docent non offerendum
esse: & consimiles. Ac uel planè rem tetigisti, hinc lacrimæ iste
uestre. Sed in uiam redeo. In hac opinione non admodū per-
tinaciter cōstitisti, non ignarus quā impium esset, quāq;
Iudaicum & blasphemum eam adserere. Sic ergo ab ea disces-
sisti, ut tergiuersationis effugium tibi relinqueres, & ad secū-
dam sic gladiatorio animo properasti, tanquam eam nō mo-
do securibus, sed & palmis & plantis defendere constitueris,
uidelicet per Christum nobis non alia delicta condonari, q̄
quæ baptismo abluantur: & quæ post admiserimus, expiari
sacramētis oportere. Quæ opinio quā sit impia & Christia-
no homine, nedum uerbi ministro, indigna, facile dici nō po-
test. Quid enim est Christum conculcare, si hoc non est: præ-
sertim cum tot tamq; manifestos scripturæ locos habeas, qui
bus uidere licet Christum pro omnibus omnium commissis
ἀπολύτρωσιμ, hoc est, redemptionē ac precium esse. Iterū ergo
præcursoris uerbum cōsidera, Ecce agnus Dei, Ecce qui tol-
lit peccata mundi. Ut quid dicit peccata mundi, si unū origi-
nale peccatum tulit: an peccatum aliud non est q̄ originale:
ut cum dicat peccata, nihil aliud intelligere debeamus, q̄ ori-
ginale, quod scilicet omnia peccata sint originale peccatum
tantum: Quorum utrunq; q̄ sit absurdum, omnibus est ma-
nifestum. Io. 3. sic legere poteris: Nō misit Deus filium suū
in mundum ut iudicet mūdum, sed ut saluetur mundus per
ipsum, Qui credit in eum, non iudicatur. Ecce mundum sal-
uari per Christum, nō tantum originale, aut etiā baptismū
præcedens peccatum sanari. Deinde quod sequitur, Qui cre-

dit in eum, non iudicat, te manuducere potuit in fidei cogni-
tionem, quod fide in Deum per Christum omnia peccata de-
lentur, ita ut ne iudicentur quidē qui Christo fidunt. De qua
renō est hic ad sufficientiam dicendū locus, ne librum potius
uideamur q̄ Expostulationē scripsisse. Ibidē 1. cap. Lex per
Mosen data est, Gratia & ueritas per Iesum Christū facta est.
Quod si per Christum non nisi originale, & præcedentia bap-
tismum peccata delentur, quod nam discrimen erit Moseos
& Christi? præsertim qum iuxta ueltram opinionem circum-
cisio apud præscos hoc potuerit, quod apud nos baptismus:
quanquam illa in uenturo Christo, hic in iam accepto. Aut
quæ nam esset gratia semel abluisse eum, quem scias mundū
esse nulla ratione posse? Gratia sic per Christum facta est, ut
perpetua sit, perpetuò duret, perpetuò expiet. Nā omne qd̄
pater Christo dederit, ad eum ueniet: & quod ad eū uenerit,
non eijciet foras, Io. 6. Verūtamen ad luculenta ueniamus,
Christus sic pronunciat Io. 14. Ego sum uia, ueritas & uita.
Quandoquidem ergo uia est, per eum ingredi oportet in uis-
tam: nam qui alia ingrediuntur, fures sunt & latrones. Ibidē
rursum inquit: Nemo uenit ad patrem nisi per me. Nō ergo
per sacramenta, non per aliud precium itur ad patrem, q̄ per
Christum. Ipse dixit, qui & ueritas est. Nulla igitur prorsus
uenitur ad patrem uia q̄ Christo. Istic, Ego ad patrem uado,
& quicqd̄ petieritis in nomine meo, hoc faciā. Hoc se ipsum
facturum recipit Christus, quod in eius nomine petierimus.
Si ergo iniquitates nostræ sicut onus graue nos premūt, per
Christum leuari orabimus, & ipse faciet quod orabimus: non
enim dixit sacramentorū uel liberabimini, nec alia quacuncq̄
re, sed me: cum enim petieritis in nomine meo, faciam. Ca. 16
sic inquit: Amen Amen dico uobis, quacuncq̄ petieritis a pa-
tre in nomine meo, dabit uobis. Hic patrem daturū pollicet,
quod

quod paulo ante ipse promiserat, indiscriminatim sibi & patri, quod nobis diuinitus datur, attribuens. Deinde si nobis a patre quaecumque tandem oramus in nomine Christi donant, qui non delictorum ueniam in eius nomine petemus: aut cur alia uia quam per Christum eam quaeremus: Lucae. 24. aperte legit Christum Apostolis, & qui cum eis erant, mentem sic illustrasse, ut scripturas caperent: ac mox ex ipsis ostendit, ut se pati oportuerit, & resurgere tertia die, & in nomine ipsius praedicari poenitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes, Habes hic Sole clarius poenitentiam & remissionem peccatorum oportere in Christi nomine praedicari, nec est ut hic de originali & baptismum praecedentibus causeris, nam in genere dixit poenitentiam & remissionem peccatorum: ideo fieri nequit ut respiscitibus Christum semel modo possis salutare esse dicere, sed poenitentiam & remissionem peccatorum in nullo alio ualere confiteri cogaris, quam in nomine Christi: oportuisse enim inquit in eius nomine poenitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes praedicari. Actorum. 4. perhibet Petrus non aliud esse nomen sub Sole, in quo nos oporteat saluos fieri, quam nomen Iesu. Quomodo igitur tu audes adseuerare sacramentis abstergi uulnera nostra, quae solius Christi sanguine curantur: Sanguis enim testamenti est, qui pro totius multitudinis salute fusus est. Verum quid longius rem istam perscrutor? Cum nouum testamentum ideo sancitum sit, ut aeterni filij Dei aeterno sanguine perpetuo accessum habeamus ad Deum, & non Iudaeorum ritu cogamur uaccarum & caprorum cruore pollui potius quam lustrari, sed quotiescunque uulnus accepimus, ad patrem clamemus, ut filij sui precio mederi, hoc est ignoscere dignetur. Veritas est, qui in suo nomine postulare iussit, impetrabimus ergo, nemo enim est qui negare possit: idem enim est qui hanc uiam

ostendit, quod & pater: unde & seipsum quoque facturum spon-
det, quod alio loco de patre promittit. Iam quid Apostolorum
testimonia produxerit qui toti in hoc sunt, ut Christum omni-
bus Gentibus, omnibus animi morbis, omnibus conscien-
tia uulneribus comprobent esse salutarem. At inquires, omnia
quae adducta sunt non equidem inficior, Christus agnus est,
qui peccata mundi tollit, sed semel cuique tollit. Quis uero hoc
unquam dixit: semel tollit. Nam quod semel tantum mor-
tuus est, non istud continuo sequitur, quod semel tantum res-
cendat. Vt enim aeterni Dei filius est, ita precium sanguinis
eius in perpetuum durat ad omnium omnia exhaurienda pec-
cata, non semel, sed semper: nam ad hoc semper uiuit, semper
ad dexteram patris sedet, ut semper placet iustam Dei iram.
Neque hoc nostrum commentum est. Habes. 1. Io. 2. Filioli, haec
scribo uobis ne peccetis, Et si quis peccauerit, aduocatum ha-
bemus apud patrem Iesum Christum iustum, & ipse est pro-
pitiatio pro peccatis nostris: non solum autem pro nostris, sed
etiam pro totius mundi. Primum, quibus scribit hic Ioannes:
nimirum fidelibus. Ergo & fidelibus, qui iam baptizati haud
dubie erant, Christum propitiationem promittit. Secundo
loco, cum dicit, Et si quis peccauerit, manifestum est eum non
de originali morbo loqui: hunc enim non peccamus ipsi, sed
peccauit Adam. Postremo iterum audis Christum hostiam
esse, quae non solum gentis alicuius, sed uniuersi orbis uniuersa
delicta expiet. Quod & ipse dulcissima Samaritae parabo-
la docuit, cum ipsum eius quoque quod supra duos denarios
expensum esset, praedem facit. Porro quid aliud agit Paulus
per totam ad Hebraeos epistolam, quam ut uisum ingeniumque
mortis Christi explicet? Vt scilicet Christus una quidem mor-
te uel oblatione, sanctificatos, hoc est fideles in perpetuum con-
summauerit, eum ueterum hostijs opponens, quod illas crebro
iteratas

iteratas oportuiffet, ipfum uero tam sanctam, tam diuitem,
tam denicq; absolutā esse oblationem, ut qui ea freti sint, per
petuō per ipsam ad Deum accedant. Et propterea sic inquit
cap. 13. Christus Iesus heri & hodie ipse etiam in secula. Nō
aliud proculdubio intendens, quā quod Christus ad usque
mundi consummationem tam salutaris est, quā erat cum
in cruce mactatus spiritū redderet. Mox em̄ adiūgit, Doctrī
nis uarijs & peregrinis ne circumferimini: optimū enim est
gratia stabiliri cor. Hinc salutem hominis pendere definiens,
si sola Dei gratia per Christum nitatur: quam uiam nouam
nouiterq; instructam Christus patefecit, Hebre. 10. Sola ergo
Dei gratia foelicitati restituimur: porrō gratia Dei per Chris
tum sic firmata est, ut fermē iam debiti rationem induerit.
Quomodo em̄ nō omnia nobis donauit, qui filio suo nō pe
percit? Hoc autem postremum, quod maxime contra adser
tionem tuam pugnat, uidelicet, sola gratia Dei nos iustifica
ri, nō sacramentis, quæ tu libenter magno uenderes: Paulus
tam Romanis quā Galatis scribēs, clarissime adserit. Nā
si sacramentis aboleri peccata potuissent, qui factum esset ut
Christus carnem indueret, & non potius sacramēta institues
ret quibus expiaremur? At dices sacramenta non propria, sed
passionis Christi uirtute repurgare peccata. Qur igitur Aris
totelicę oblitus es maxime? Propter quod unū quodq; tale
& ipsum magis. Si sacramēta ideo purificant, qđ Christi san
guine sunt imbuta, sanguinis igitur est non sacramētorum,
criminū ablutio. Qui ergo Christi sanguine intrepide fidūt,
peccatorum remissionem impetrant, quod si sacramentū ac
cedat, exterioris potius hominis informatio est quā interior
ris: ut enim hic elemētis nullis doceri aut fidelis reddi potest,
sic iste quicquā capere nequit quod sensu non experitur. Ut
ergo toti, hoc est tam interiori quam exteriori homini Deus


satisfaceret (ut exempli causa dicamus) eum, qui iam credi-
disset aqua tingi iussit, non ut animum ablui hac ratione uo-
luerit: nam qui fieri posset, ut incorporea substantia elemen-
to corporeo ablueretur: sed ut exterior homo uisibili signo
iniciaretur, quo eius quoque rei, quæ apud interiorem uel si-
dei lumie, uel manifesto gratiæ Dei uerbo geritur, certior fie-
ret. Quod Augustinus recte uidit, cum dixit, etiam cum uer-
bum accedat ad elementum, fide tamen omnia confici. Sed
leue sit tam Augustini testimonium quàm nostrum, nisi uer-
bo Dei clare idem habeatur. 1. Petri. 3. sic scriptum est: Cuius
figuram referens baptismus, nos quoque nunc saluos reddit,
non depositio sordium carnis, sed conscientiæ bonæ responsio
ad Deum per resurrectionem Iesu Christi. Vides hic pri-
mum baptismum pro fide accipi, nam ea sola nos saluos red-
dit. Nec mirum hoc est, aut inusitatum Apostolis, ut scilicet
signum pro signato accipiant: Paulus enim cum crebro id fa-
ciat, apertissime tamen in Romanorum epistola. Secundo,
Quod & Petrus ipse continuò adiunctis sequentibus uerbis
idem manifestum facit. Non depositio sordium carnis, in-
quiens, quibus aperte liquet baptismum nos non saluos red-
dere, quatenus corporis superficiem, sordesque abluit, sed qua-
tenus conscientia nostra sibi probè respondet: & constat, cum
se excutit, quomodo ad Deum habeat, ac uitæ in Christo
certa est, quoniam ipse ex mortuis resurrexerit. Quid multis
opus est? Caput hoc esto, Sola gratia Dei nos saluos fieri: id
autem cum ea fidimus. Ocius ergo cum tua ista in gratiam
Dei contumeliosa opinione facesse, qua sacramentis adseue-
rasti admissa deleri, non alia ratione oportere. Et quando qui-
dem hactenus palàm sic docuisti non citra iniuriam filij Dei.
Per eum te oro, ut resipiscas, mentem ab errore reuoces, & in
obsequium Dei mancipes, ita ut nullius uerbum apud te tan-
tum ualere


rum ualere sinas quantum Dei . Quod si feceris , iam nouus
homo fies , & quod prius ex hominum somnijs cōstanter ad-
seruisti , damnabis : cadentq; de oculis tuis squamæ , quibus
ablati , uerum propius constantiusq; intuebere : cuius faciē
si recte contemplatus eris , pudebit superioris audaciæ , qua
tam gloriose absque uerbi Dei autoritate non modo istum ,
sed & multos alios errores adfirmasti . Reddetur & animus
tuus paulo humanior ac moderatior , ne more quorundam
quotidie noua excites incēdia : nunc hæreticos , qui Dei uer-
bo nituntur , nunc uero eisdem indicta causa trucidādos uo-
ciferantes : quorum furorem & fremitum dominus aliquan-
do dissipabit . Quin potius hoc age , ut si quādo audias quod
a sententia tua abhorreat , contine paulisper iudicium , ac in-
terim uerbum Dei consule ; neq; id in lacunis , sed in ipso fon-
te & scaturigine , simulq; ora , ut qui te liberaliter ad haurien-
dum inuitauit , donet , ut cœlestem aquam , hoc est scientiam
pure haurias : hic mihi haud dubie aliter pronūciabis , quā
cum carnem & sanguinem consulisti : omnis enim caro fœ-
num . Quod si contra in contumelioso errore contumaciter
perstiteris , gratiam Dei conculcando , & carnis & sanguinis
audaces opiniones adseuerando , erimus & nos in te confu-
tando constantes : neque solum te , sed & alios quosdam in-
doctos doctorculos , qbus plus æquo hætenus indulsimus
non alia , quā propter arrogantem illorum stulticiam , cau-
sa . Te uero , fama tantum , tametsi uicina notum , cum tanto
fastu turgere negent , amice primum conuenire placuit , ut si
per Dei gratiam liceat , fratrem lucrifaciam , in nullum alium
usum , quā ut Dei uerbo posthac fideliter hæreat , hominis
laqueum remittat : quo deinde ueram Dei gloriam contem-
platus , miseris mortalium conscientijs non alia cataplasma
ta oblinet , quā quæ ex cœlestis medici apotheca sint des-


735026-9
prompta. Faxit Deus optimus maximus, Amen. Boni con-
sule amicam hanc Expostulationem nostram, serius per oc-
cupationes missam atque statueramus. Vale. Ex

Tiguro .20. die Octobris. Anno
M. D. XXIII.


Huldrych Zuinglius ex animo tuus
si tu Christi potius esse uelis quam
hominis.







OCN 504511908





R

F